Gulielmo Tertio,

Terra Marique


PRINCIPI INVICTISSIMO,

IN GALLOS PUGNA NAVALI

NUPERRIME DEVICTOS

Carmen Heroicum.

Authore *Edmundo Chishull* A. B.
è C. C. C. Oxon.



OXONII,

E THEATRO SHELDONIANO.

Proſtant apud *Joh. Croſley*, MDCXCII.

GALLI PUGNA NAVALI
NUPERRIME DEVICTI.

QUÆ mala Phœbæos valeat nunc lingua furores
Carpere? Quis mihi nunc Parnaſſi filius alter
Invidiam conſcire, ſacrumque refellere carmen
Audeat? Ingentem dicturus namque *Wilhelmum*,
Canturuſque Heroa meum, & laturus in aſtra;
Ecce! inconſuetis levor intra Sydera pennis:
Attonitum cum Calliope pertundere plectrum,
Et ſocias inter videor diſcumbere Muſas.
Naſſaide, Diis orte genus, ter maxime Regum,
Cui nunc bellanti latèque tua arma moventi
Et Tellus Pontuſque & magnus militat æther;
Fas mihi ſit, Placidis fas ſit recitare Camænis,
Ut ferus Armatam Ruſſellus in æquore claſſem
Rexerit; ut pavidi trepidarint per mare Galli
Navibus amiſſis, ut Teque tuamque *Mariam*
Et nos Vobiſcum æquarit Victoria cœlo.
Ecce, dies aderat (quem Quis ſperare futurum
Quis modo de populo potuit ſperare Britanno?)
Cum ſævam aſſueti fugiendo eludere pugnam,

Et longâ dudum infames torpedine Galli
Mutatis animis, mutato pectore fortes,
Angliacas magno naves clamore petebant.
Stulti! namque illos tunc in sua damna furentes
Vindex immisit Deus; & quæ prima videbat
Audaces, eadem audaces lux ultima vidit.

Non mora: continuæ depugnant *ordine longo*
Magna mole rates, & fata ruentia miscent.
Extemplo flammas, & fumos ignibus atris
Commistos Tormenta vomunt, revomuntque vicissim
Plumbea materies, quam pigram provida quondam
Natura esse dedit, tardamque effinxit eundo;
Nunc tamen & ventis, & nimbis ocyor ipsis
Evolat; hinc atque hinc misso furit ira metallo.
Tum verò gemere antennas, malosque relabi,
Et nautas fractis vidisses fidere remis.
Præcipue immanis liquidum ferit æthera clangor:
Et magnos latera edebant impulsa fragores.
Namque cavi multo quassati verbere quercus,
Ingentes sonitus, & magna voce querelas
Ingeminant: qnondam nil tale in montibus altis
Perpessi, quamvis inimica tonitrua sæpe,
Sæpe Jovem iratum, & fulmen sensêre trisulcum.
* Nullus tunc Auster, Boreasve immitior Austro
Vel mare vel latas vexavit turbine terras:

* aer inter pugnandum tranquillus.

Sed

Sed ſolis vano Æolidum ſine numine fratrum,
Solis, (ſic Dii juſſerunt) conceditur Anglis,
Concutere Oceanum, mundumque ciere tumultu.
Sed cœli, dic Muſa, fuit quæ cauſa quieti?
Scilicet immiſſi prima inter prælia Venti,
Cum pugna aerias violaverat acrior alas;
Optavere ſuis potius dormire cavernis,
Clamoreſque hominum , & ſtrepitus timuere tubarum.
Ergo domos abeunt; & qui non hoſtibus olim,
Qui non terga malis verterunt, nunc tamen *albas*
Afflicti referunt pudibundo vulnere pennas.
Illos increpitans patrio vix Æolus antro
Claudebat, timido quamvis ſtridore querentes
Pulvereos tonitrus, & verbera Bombardarum.

Quinetiam & trepidi turbata per æquora piſces
Fugêre, & notos liquit gens cærula nidos.
Paſſim alias quærunt ſedes Rhombuſqus Lupuſque;
Et Tu, qui quamvis homines bene gratus amore
Proſequeris, tamen odiſti fera prælia Delphin.
Sola omnes inte *Balæna Britannica* manſit,
Et palmam *patriis* optavit fida carinis.
Tanta mali inſurgit moles, tantuſque Profundi
Vexat aquas urgetque furor! Vix Tu tibi Regnis
Ipſe tuis conſtare Pater Neptune valebas;
Sed maris imperium ceſſit Martique Jovique:

Mars pugnat, mediis at *Jupiter intonat* undis.

Verum age Calliope, & ſiquæ jam major avena
Sit tibi; percurre Angligenas, tot nomina magna,
Heroas, noſtræque duces ediſſere claſſis.
En! primum in ſummâ *Ruſſellum* agnoſco carinâ;
Ashbeiumque aliâ tendentem in parte per æquor.
* Huic Dea *cæruleos Fortuna* induta colores
Invigilat ſemper, *maloque agitabilis* hæret:
* Aſt illum *Bellona rubris* circumvolat alis;
Sanguine cui facies, cuî tinctæ ſanguine plumæ.
Te quoque Te *Delavalle*, & proxime Te *Delavalle*
Rooke canam, & celſis in puppibus arma *Shovelli.*
Infelix poſt hos, triſtique loquende Camænâ
Infelix *Cartere* venis; quem bellica quamvis
Magnum inter magnos jactet Britannia natos;
Nunc tamen amiſſum & crudeli morte peremptum
Chara ſinu tegit, atque teget *Port-moutha* per ævum.
O ſumma Angliacæ Ductores gloria gentis!
O animi innati bellis, verèque Britanni!
Contra quos & voce ſuâ Dextriſque minaces,
Quid mare, Quid Venti adverſi potuere? Quid aer?
Nigraque lux, piceoque dies *obnubila cœlo;
Tanquam *invidiſti* noſtris Natura triumphis?
Quid potuere tuus timor *Amfreville*, pudendus
Gabareti timor, & *Torvilli ingloria* Virtus?

* *Ashbeio cærulea claſſis præfecto.*

* *Ruſsellum rubræ claſſis præfectum.*

* *nebula enter pugnandum oborta.*

Heu

Heu *Torville*! Tuus te præcipitem dedit ardor;
Pernix ambitio, & nimiæ ſitis aſpera famæ:
Dum ſuper-attollens animum, & communia temnens
Auſus es *ipſius* regimen tibi poſcere * SOLIS.
Demens! nam tantâ miſerè ſpe luſus abiſti:
Et *Phaetontæum* pateris temerarie fatum.
Atqui Marte prius, belloque ſtrepente micabat
Inclytus, atque aliquo mala tanta redemit honore;
Cum proræ coram inſiſtens, atque invida vibrans
Arma, & *Ruſſello* fretus ſe opponere contra,
Edebat trepidæ ſpecimen mirabile pugnæ
Æmula funeſto committens regna duello.
Hos circa furor & ſtrepitus, certiſſimus iræ
Vultus, & aſſiduo fervens Bellona tumultu.
Diſploſo hic illic Bombardæ pulvere frangunt
Æthera; fumantes certant, & *nubibus atris*
Galliacum cunctæ gaudent perfundere SOLEM.
Utitur ille malo, & densâ caligine tectus
Retrogradum pertentat iter; multoque timore
Nota Thyeſtææ reparat miracula cænæ.
Sic quoque credibile eſt, rapidi trans Helleſponti
Lttora currebat Xerxes; non talia quondam
Militiadiſque umbris, gentique minatus Achivûm.
Sic etiam Actiacam infelix Antonius oram
Navigio amiſſo & disjectâ claſſe legebat:

* *Quod erat nomen prætoria navi inditum.*

Nec

Nec jam amor, & trepidum tenuit Cleopatra maritum.
Tum vero attoniti pugnam ſentire labantem,
Atque *ſuum* Galli fugientem cernere *Phœbum.*
Raptim omnes illum per iniqua per æqua ſequuntur.
Non ſalebræ ſcopulive, aut cætera dura viarum
Præcipiti turbæ, mortemque timentibus obſtant:
Sed dum *Martis opus* poſt puppem & terga relinquant,
Et quæ terribiles jaculantur fata Britanni;
Haud metuére quibus poterant occurrere fatis.
Tum ſi fortè vias properans tendebat in iſtas
Accipiter, peteretve oras Jovis ales eaſdem;
Fruſtra ii tentarunt Gallos ſuperare volando
Æmuli, & à timido vinci doluere popello.
Sed me Sacra jubet verumque æquumque referre
Muſa, nec in turpes mentiri turpia Gallos.
Quinque quidem toto præclaræ ex ordine puppes
Quas olim intrepidis tulit aptas Gallia bellis,
Solæ non tumidas victæ fugêre per undas.
Namqne omnes poſtquàm laſſatæ vulnere crebro
Uda admiſerunt adopertis æquora rimis;
Subſidunt, Glaucique petunt penetralia Nerei,
Non iterum æthereas redituræ in luminis oras.
Illas nempe Pater Vulcanus, ſive (profundum
Cui paret) ſortem miſerans Neptunus iniquam,
Dedecori exemit tanto, famæque ſiniſtræ.

Cætera

Cætera turba ruit, Boreas quà deferat illam
Aut Ponti furor, aut remis connisa juventus.
Frustra: nam quamvis multum desudet, & omnes
Alliciat ventos Antennis; sed tamen usque
A tergo propendet inevitabile lethum:
Nec minus arte citâ Victor dat vela Britannus.
Unum est illud opus totas impellere puppes
Vi validâ, & manibus fortes urgere rudentes.
Jussa dabant proceres, at vulgus jussa capessit:
Invisam obnixi pariter deperdere gentem
Et classem æquoreis jurati sternere campis.
Tu quoque *suspectæ* Vindex acerrime *famæ*,
Quamvis jam *Cartere* nihil nisi nomen & umbra,
Sic tamen, ô! *sic* Tu pullatâ in nave fugaces
Opprimis, Augusto victosque cadavere terrens,
Virtutem ostentas etiam post fata *fidelem*.
Scilicet extinctum ferali vulnere corpus
Plus vincit, *majorque* metus fugientibus instas.
Olim qui rutilis ardentia lumina flammis
Viventisque ducis dextram timuere furentem;
Nunc *numen* divine tuum *Cartere* verentur,
Atque animam, extremi residens quæ in vertice cœli
Obliquis oculis, Gallosque aversa tuetur.
Angligenûm interea pubes comitatur euntem
Arma fremens, prædæque inhians miranda juventus.

B Nec

Nec non magna ducum jam tunc audacia claret,
Atque æquanda ipsis ultro fiducia cœlis.
Pervolitant illi, & *Torvillum* per mare quærunt;
Torvillum ventos poscunt atque æquora: quamvis
Nil replicant venti, nil æquora perfida contra.
Jamque deos, & vos Brittannæ conscia famæ
Numina testor! -----Ad illius felicia lucis
Gaudia, nil Mavors potuit, nil Jupiter Ipse,
Nil vel *Russellus* potuit super-addere majus;
Si comitem ulterius sivissent sidera nobis
Hastingum, & tanto indulsissent alma triumpho.
At non sic placitum.- -Sic magnus, sic quoque magnus
Trojam qui vicit, victam non vidit Achilles:
Nec debellatæ spolium aspectavit Iernæ
Boyniacis moriens Senior *Schombergus* in arvis.
At pia dilacerata latusque & carbasa puppis,
Obstipo nutans capite, & *salsa* æquora libans
Quêis poterat magni fato *illacbrymare* Magistri;
Vix tandem in mœstâ exanimem deponit arenâ.
Ille miser latè porrectus frigida membra,
Mactatusque sacros *tormento* immaniter artus,
Dormit in æternum, & jam *ferrea somnia* sentit.
Quin Vos Angligenûm Heroes, quos scilicet istis
Dat superesse istis melior fortuna Trophæis;
Ite boni, terrete feros facto agmine Gallos:

Infida

Infida infidis immergite corda ſub undis,
Et ſaturate avidos infandis navibus ignes.
Me pius *Haſtingus*, me nunc pius ille, meumque
Carmen ad inferias, cineriſque ad buſta requirit.
Illum mœrentes ſocii, triſtiſſima turba
Atrato curru attollunt, multùmque gementes
Quadrupedes temone *feras* conjungere certant.
Quadrupedes jam non dicendas: namque minutim,
Nec totis greſſus pedibus glomerare videntur:
Nec repetita quatit trepidam quarta ungula terram.
Fræna ſed irriguo fœdantes ærea fletu,
Dejectique caput *mirandis* luctibus ibant:
Quales credibile eſt illos iviſſe caballos,
Qui circum patrios traxerunt Hectora muros,
Aut prius extinctum quales vexêre Patroclum.
At triſtis ſolatus equos Auriga, dicatam
Funeribus ſedem, Londiniaque arva petebat;
Cum procul, Urbs totos paſſim diffuſa per agros,
Turba ſenum juvenumque, atque *ipſa* in veſtibus atris
Triſtitia, & magni facie pendente *dolores*
Occurrunt. Quin *ipſa* etiam (ſi credere fas eſt)
Ipſa Sepulchrales induta *Maria* colores,
Ipſa Sacris aderat, tumuloque addebat honorem.
Magnates, civeſque piis bona cuncta precantes
Manibus, & verſis in terram turpiter armis

 Lugentum

Lugentum turmæque equitum, peditumque catervæ,
Deproperant omnes umbris celebrare ſupremis
Funera; ſuſpirantque, & dicunt ultima verba.
Felix quod cineres ſervabit nobile ſaxum!
Felix! namque illic fervebuut horrida circum
Prælia, disjectique natabunt æquore Galli.
Felix! nam puro deſcriptas marmore laudes
Haſtingique feret nomen per ſecula: nec jam
Aut numeris opus eſt veſtris, aut Carmine Muſæ.
Quis me nunc Deus, æthereas Quis tollet in auras
Candidus, atque loco faciet conſiſtere in illo,
Quem veteres *Magnum* dixerunt nomine *Portum*;
At mea *Port-moutham* primum auſa vocare Camæna eſt?
Grates Phœbe tibi! Tu me per inane volantem
Terras Phœbe doces contemnere: Tu mihi pennas
Sufficis, optatamque dediſti inviſere ſedem.
En rerum facies mirabilis! Ecce novorum
Mutatum aſpicio Genium Vultumque locorum.
Scilicet ut Pontus ſcopulique & littora rident!
Totus candidior ſolito ſplendeſcere campus,
Et quaſi jam vernos contemnere geſtit honores.
Quin fallor, ludenſque oculos decepit imago;
Aut hic nunc reduces emenſis fluctibus Anglos,
Plaudenteſque rates ornantia lintea noſco.
Nempe *gruum* quondam Pygmæis qualis ab oris

Victrix

Victrix turba redit; pennis stridentibus illi
Mutua surreptæ gratantur gaudia prædæ;
Confractis crepitant hastis, & spicula jactant
Detorta, atque ipsos avectos unguibus hostes:
Tales Magniloqui Britones narrare vicissim.
Millia præteritæ evitata pericula pugnæ,
Et domitos *non cœlesti sine numine* Gallos.
Hic partas convectat opes, hic vulnera curat;
Ille cruentatos humeros sibi tergit; at alter
Terribilem ostendit media inter vincula nautam
Ligericâ in ripa, Rhodanive ad flumina natum.
Suspiciensque aliquis superas sic dixit ad auras;
"Dii faveant lætis; & qui tam magna dederunt,
"Dent etiam nostro longe majora *Wilhelmo*.
Sed Tu, Musa, mali fugiens mendacia vulgi
Sermonesque leves & viles despice cœtus:
Egregiam invisens *malo fluitante* carinam;
Ductores ubi magnanimi sedère per orbem,
Conventus sacer Heroum, prænobilis ordo:
Gratia quos placide obstreperis super-imminet alis
Veracique nitens Victoria candida vultu.
Hos inter grave consilium, & communia jura
Tres magnis missi proceres de rebus agebant;
Primus quem felix *comitem Rochestria* jactat,
Nec non à Populo dudum exspectatus Hiberno

Sidneius Pater; & ſimul illis Quis fuit alter
Quem genere exortum Batavo, *Portlandia* primum
Angliacæ adſcripſit patriæ, gentique Britannûm ?
Jam ſonus & rauci ſtrepitus procul, altaque circum
Quamvis *tam lætas* tenuere ſilentia mentes:
Cum fidus, linguaque ſimul præclarus & armis
Surgit, circuituque decentia lumina torquet
Sic tandem affari incipiens *Rocheſtrius Heros.*
"O Quibus impunè in liquidis dominarier arvis
Magnarumque dedit regnum *Gulielmus* aquarum;
Sub Quorum ferus auſpiciis turgeſcere Pontus
Gaudet, & immenſum ventus perflare profundum;
Accipite innumeras mater quas Anglia grates
Munificos adoperta ſinus, gremiumque relaxans,
Vobis & veſtris defert fidiſſima dextris.
Per Vos terribilis vexati *Bellua* mundi
Horruit, infandumque dedit *Ludovicus* ab imo
Corde fremens gemitum. Per Vos celeberrima claſſis,
Gallaque ſupremam ſenſit Gens victa ruinam.
Scilicet *has* metuens frontes, *hæc* ora paveſcens,
Atque *hos* quos *præſens* video ſtupeoque lacertos.
Proh quales hominum vultus, facieſque, manuſque;
Qualia defixus fortiſſima corpora luſtro;
Quæ poſthàc variis lucebunt ſplendida donis,
Magnaque cum magnâ referent quoque præmia famâ!

Fas

Fas etenim egregias nunc expectare *corollas*;
Torques, exculptasque auro rutilante *catenas*,
* Pulchraque cæruleis signata *numismata* Divis;
Plurima quæ vobis multo meditatur honore
Munera, magnificos auctura *Maria* triumphos.
Nunc etiam in Flandris (non lævè credimus) oris,
Ipse mero frontem laxat meliore *Wilhelmus*:
Regalemque animum lautæ ad convivia mensæ
Exhilarans, hæc gesta ducum memoranda suorum
Jactat, & ad Batavos extollit nomina Reges.
Quin Vos, si modò quæ dextrâ fecistis & armis,
Voce vacat verbisque graves recitare labores;
Dicite, (nam nos ambiguus male decipit error,
Falsaque cum veris nullo discrimine miscet)
Dicite quas tandem strages furor edidit Anglus:
Quas atra flamma, vadis aut quas absorbuit imis
Unda rates: quas vos animas misistis ad Orcum.
Dicite; ab æquoreis quoniam nunc fluctibus omnes
Tutò excessistis, terrâ portuque recepti.
Dixit. At ingentem miratrix turba favorem
Ingeminat, plauditque cavæ latus omne carinæ.
Illum autem excipiens placido *Delavallus* ab ore
Sic orditur: ---- " Ab his bellique marisque periclis
Servatum, patriæque domos urbesque videntem,
Ut gessisse prius, sic nnnc me gesta referre

* *Anglicè, medals.*

Qua-

Qualiacunque decet; jubeas modo Tu Pater, & Vos,
Dia corona, duces. Novistis ut agmine nuper
Disjecto, & fusi ruerent trans cærula Galli:
Ut premerent trepidosque minis instantibus hostes
Urgerent velis celeres remisque Britanni:
Tum mea me fortuna, & Jupiter æthere summo
Disponens pugnæ casus, sortesque cruentas,
In vada demisit contermina Normannorum
Finibus, infidoque jacentia littora tractu.
Tres ibi non bene firmato munimine naves
Hærere, atque ipsi laceras insistere ripæ,
Sed vix obscurâ lucis conspeximus umbrâ.
Ergo diu incertis quos fors objecerat hostes,
Quæ loca quæ tenuere rates, quæ lintea ferrent,
Convenit exspectare diem solemque reversum.
Quamvis tum duram cupidâ spe tortus & irâ
Noctem ageret miles; coelum execratus iniquum,
Astraque, & optatam celantia sidera prædam.
Jamque Aurora procul rubicundos alma capillos
Extulit, Eoisque refulsit splendida campis;
Cum mox *Cherburgum*, & priscæ notissima famæ
Oppida, lux aperit lætis manifesta Britannis.
Tum vero coelum clamore & littus & undas
Concutiunt; ubi jam conspectu clarus in ipso
Torvillus, magnæ dejectus lumina frontis,

Accu-

Accuſanſque deos fruſtra, & teterrima fata,
Parvo lintre miſer puppem ſocioſque reliquit.
Infelix! nam quo fugeret; quas iret in oras,
Nuncius acceptæ cladis, claſſemque fugatam
Commemorans, merſoſque undis, *ſua crimina*, Gallos?
Nos avidi interea manibus deprendere totis,
Et ſpolium luſtrare oculis; accedimus omnes,
Æquoreas propius turres, molemque ſtupentes
Immanem, & triplici conſtructas ordine proras.
Præcipuè ante alias multo Prætoria puppis
Robore, Sculpturæque opere, & fulgentibus auri
Emicuit radiis: libuitque agnoſcere, *verè*
Galliacæ *lumen* gentis, *Solemque* vocatam.
Sed veros radios, & lumen verius illi
Angligenæ dedimus; *piceas dum nempe paramus
Jungere naviculas, *calido* quas Mulciber olim
Numine donarât; ſeque intra viſcera totum
Inſinuans, venis *æternum* afflaverat ignem.
Tranſmittunt illæ mortem, atque incendia vibrant
Hoſtili hærentes lateri; flammeumque furorem
Culmine malorum ſummo, & per tranſtra propagant.
Latè æquor, late Tellus Normannica ſplendet
Ignibus; atque ultro lucem diffundimus *illis*,
Illis unde genus cuncti deduximus, *arvis*.
Scilicet, ut veteris videant facta inclyta prolis;

* *Naves ig-
nearias.*

Et quam magnanimos olim emiſere colonos.
Ergo ubi conſumptæ violento ardore carinæ
Amiſſis paſſim tabulis ligniſque paterent;
Vis illic inimicarum perrumpit aquarum,
Fataque *bis* miſeros perimunt *contraria* nautas.
Heu mala Fortunæ ludibria! Tunc quoque, Tunc *Sol*
Gallicus atque unà Pariſinæ gloria terræ
Occidit. At verus non Phœbus veriùs unquam
Stridit, & æquoreis merſus *ſe extinxit* in undis.
Illum mirabunda ſuo Thetis alma recepit
In gremio; tandemque ſibi vix credula, jurat
Vel non eſſe ſuum, vel mutatum eſſe maritum.
Hæc ſunt quæ veſtris feci *Delavallius* armis,
Marſque meo voluit committi prælia ductu.
Quinetiam ipſe Pater longè majora peregit;
Et ſi fortè libet, referet majora *Ruſellus*.
Talibus inde pius verbis *Ruſſellius* infit.
"Tempus erat, cum Mars Gallos reſpexit iniquus,
Et jam cuncta ſequi victos vexilla juberent:
Dux tunc Ipſe Ducem per ſaxa per invia primus
Quærebam: *inſignes* animus præcepit honores,
Et *Spolia* Angliacis promiſit *opima* columnis.
Sed ſatis ô ſocii, quoniam iſtam Numina laudem
Majori dextræ, atque tibi *Delavalle* dederunt.
Me verò ultorem pariter fera Gallia ſenſit,

Hogia-

* *Hogiacusque sinus*; tumido qui littore fidens * *La Hogue.*
Et curvata suis extendens brachia Nymphis,
Vim tamen est madidis flammarum expertus in antris.
Illic ter quinas trepidâ statione receptas,
Et jam vix ausas pugnâ contendere puppes
Perdidit ignis atrox, & miles atrocior igne
Dii superi! horresco referens, animoque recordans!
Nemo olim Siculum permensus navita Pontum,
Talia flammivomâ spectacula vidit in Ætnâ.
Nec tales atro eructantem ex ore favillas
Territa Campanum mirata est Roma Vesevum.
Instar montis enim rutilus caput extulit ardor,
Ultra Alpes longè summique cacumina *Tauri*.
Dorsaque convexæ superans altissima terræ,
Illuxit queîs non *Sol* unquam *illuxerit* oris;
Uniusque dedit radios spectare diei.
Cætera quis fando expediat miracula rerum?
Ut Tethys, Nereusque pater, Nereique sorores
Horruerint liquidis illata incendia regnis:
Ut freta desererent calefactas *saucia* ripas;
Brachiaque *ambustus* contraxerit *Ennosigæus*.
At mihi tum ingentem movit Fortuna dolorem,
Quæ versare rotam, miserisque illudere gestit;
Ut prope vexillis splendentia castra Britannis,
Signaque proscripti vidissem stare *Jacobi*.

Et ſubiit: "*Sic* dat Pariſinus ſceptra tyrannus?
"*Sic* illum in ſolium, regnumque reponit avitum?
Hinc virtute aucti, patriiſque hæc tanta colonis
Facta relaturi, certatim lintea retro
Lintea fauſta damus; pennaſque addentibus auris
Portu Victricem properamus condere claſſem.
Sæpe tamen medios extantes æquore malos,
Arvaque adhuc tepido latè nigrantia fumo
Reſpicimus lætis oculis; *Hogamque* jubemus
Perpetuum *hoc* noſtri ſignum ſervare furoris.
Finierat. Celſis conſurgunt armipotentes
Ordinibus proceres: qualiſque relinquere menſam
Fortè Jovis ſoleat cœleſtum turba clientum;
Auguſtique omnes venerari dicta Tonantis:
Tales gaudentes illi rumore ſecundo
Exultant; *unà* extenſas ad ſidera *palmas*
Ruſſellumque ferunt; unà repetita faventes
Omina *Ruſſello* conclamant, & *Delavallo*.
Concilio egreſſi *Port-moutho* in littore lucent
Diis geniti Heroes; ſurſum capita ardua tollunt
Conſpicui, dextriſque ſuis armiſque decori.
Quales & Medea furens, & Phaſidos unda,
Æeteſque feros ſtupuit pater Argonautas;
Egregiam cum Theſſalico Jaſone juventam.
Sed jam cærulei gradientes trans vada Ponti

Forte

Forte juvat lustrare rates, oculisque notare
Quæ laceras magis antennas, & cassa gerentes
Fragmina, quæ plures Bombos ferrique catervas
Perpessæ, æternam patriæ obtinuere salutem.
Prima cicatrices, & honestis vulnera costis
Subridens aperit longè *Russellica pinus*;
Quæque ducem excelsâ *Delavallum* in puppe ferebat.
Tu quoque *Londino* nomen quæ ducis ab *urbe*,
Ipsa Urbs, exstructasque ferens in culmine turres;
Nunc istas turres, & densas saucia quercus,
Ostendis pro Rege tuo quid feceris *Ipsa*;
Quid *cives populusque tuus* fecisse volebant.
Protinus hinc *utero* infelix *Catharina* fatiscit;
Et quondam *steriles* Caroli testatur amores.
Ast illinc *Sandvica* pio suffusa pudore,
Navigii oblita, & malorum oblita suorum,
Præcipue *Hastingum*, & dominum deplorat ademptum.
Necnon & clavum tabulataque fracta dolebat,
Quamvis *Numinibus* secet æquora *rite vocatis*
Centurio; præclara ratis seu cernere bello,
Seu remis agere, & cursu prævertere ventos.
Ante omnes *Magni* cognomine dicta *Wilhelmi*
Horruit, & lato truncata patebat hiatu
Quæ vehit *Armisonum* generosa carina *Shovellum*.
Illa memor divini humerum temerasse * Magistri

* *Gulielmi Regis.*

Hoſtilem (*Boyno* facinus teſtante) Sagittam;
Par ſibimet vulnus *ſimilique* in parte receptum
Gaudet, & avulſam jactat nunc æmula proram.
Has tum conſpiciens *placidâ* Ruſſellus in *actâ*,
" Ite, ait, egregiæ meritis vos ite carinæ!
" Quas poſthàc ſuperas cùm fortè attollet in auras
" Jupiter, aſtra locans inter, ſtellaſque micantes;
" Cedet, & ipſa ſibi necquicquam plauſerit Argo
" Prima quod intactas velis tentaverat undas.
Sic ait, & lentâ grandis ſpatiatur arenâ.
Aſt illum affulgens radio Sol vidit amico:
Candidus illi æther geſtit ridere, Poluſque:
Illius Urbs reſonat laudes: comitantur euntem
Aura favens populi, vulgique ſequentis amores.
Hæc Ego ruriſonam nuper modulatus avenam
Vel propter vada *Cherwelli*, vel propter amænam
Iſida, *Wilhelmo* cecini, cecinique *Mariæ*.
Quin Vos Magnorum Par ô cæleſte Deorum,
Quos fruſtra ſibi nunc comites emere omnibus *aſtris*,
Indigenaſque petit cupidi regio æmula cœli;
Pergite anhelanti requiem prohibere Camænæ,
Et nova laſſatas in carmina poſcite vires.
Tu Batavas ducens acies, acieſque Britannas
Liligeraſque urbes, inimicaque mœnia pulſans
Victor adhuc tendas; & nullo in fine laborum

Cæſar

Cæſar acervatos condas Mavortie lauros.
At tu, Diva, tuis quæ dividis æqua Britannis
Jura, domique colis pulchram Pulcherrima pacem;
Tu *Conjuratos* populi contunde furores:
Tu pedibus ſolium, dextræque aſſueſcito ſceptrum.

FINIS.
